THEOLOGICAE ASSERTIONES EX PRIMIS CAPITIBUS EPISTOLAE AD ROMANOS COLLECTAE, VNA CVM EXPOSITIONE LOCORVM, QVI PAVLO

obſcuriores in eis eſſe videntur. Quas
defendet vnus ex auditoribus
theologis Collegii Ger-
manici, in diſpu
tationibus,
quæ ante renouationem ſtudiorum in templo
Societatis IESV habebuntur, præſi
dibus iis, qui Theologiam in Col-
legio eiuſdem Societa-
tis profitentur.

DIFFICILEM eſſe et perobſcuram epiſtolam D. Pauli ad Romanos cum Sanctorum teſtimonia, tum ipſa experiētia ita demonſtrat, ut neceſſum ſit, Lutheranos, qui facilem eam contra oīum ſententiam eſſe iactant, non germanum Pauli, ſed ſuum ipſorū ſenſum & affectum in ea intelligere; nec ſe ad Pauli iudicium, ſed ipſius uerba ad ſuum iudicium ſūma peruerſitate accōmodare.

Quæſtio porrò, quæ in hac Epiſtola præcipuè tractatur, hæc eſt. An Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti ſolis Iudæis uenerit propter merita operum ſcriptæ legis: An uerò nullis operum meritis præcedentibus, quæ uel ex lege ſcripta eſſent, uel extra legem, uniuerſis hominibus ethnicis iuxtà, atq; Iudæis iuſtificatio fidei fuerit oblata; ut non, quia iuſti erāt, ipſi crederent; ſed credendo ſic ſint ſanati ac iuſtificati; ut uiuere rectè poſtea per gratiam iuſtificationis abſq; legis adminiculo poſſent.

Ex Cap. Primo.

Paulus ſeruus Ieſu Chriſti.

Serui sūt fideles et dei propter naturā, et Chriſti peculiariter propter gratiā redēptiōis. Non ergo miniſterij tantum cauſa (ut quidam aiunt) aut quòd humiliter de ſe ſentiret, ſe ſeruum Paulus uocauit, ſed quia conditione talis erat.

Vocatus Apoſtolus.

Apoſtolatum perperam Hæretici tradunt nomē tantùm functionis fuiſſe, ut legationē. Eſt nomen eius dignitatis & poteſtatis, quæ ſuprema eſt et neceſſaria in Ec- cle[illegible] quæq; nec abſq; ordinatione cuiquam contingit; nec ſine uocatione præſumenda eſt; ut præſumitur nunc à Lutheranis, qui tanquā latrones aliunde, quàm per oſtium, intrant.

Quod antè promiſerat per Prophetas ſuos.

Non ſunt æſtimandi Prophetæ ij, quos uel eximia uitæ ſanctitas, uel miracula ædita, uel euentus manifeſtus rerum contingentium, quas prædixerunt, non cōmendat; uel quos Eccleſia tales eſſe ſua approbatione non declarat. Quare tutius eſt prædictiones & reuelationes quorumuis aliorum ſuſpectas habere, quàm nimis uehementer ei aſſentiri.

Qui prædeſtinatus eſt filius Dei.

Planius uocabulum Latinis fuiſſet, Declaratus: Sed uerba & ſenſus Apoſtoli magis exigunt uocem, Prædeſtinatus.

Per quem accepimus gratíam.

Etſi non careat rõne, q̃ ſcriptura præpoſitionem (per) Chriſto et ut Deo, et ut homini adiungat; Superſtitioſum tamen et Hæreticum eſt Diuinas Perſonas ex particulis diſtinguere.

Ad obedíendum fideí.

Vnico hoc uerbo, ſiue eo, quod græcè habetur (In obedientiam fidei) ſatis profligatur Lutherana fides, indigna, quæ manducet uitæ panem, cum nihil laboret niſi malum. longè enim aliud eſt obedire fidei, quàm fidem iactare.

Vocatos ſanctos.

Chriſtiani etſi moribus ſint prophani (ut aliquos Romæ fuiſſe tempore Pauli ueriſimile eſt) propter profeſſionem tamen rectè ſancti et dilecti dici poſſunt. Lutherani nõ hoc intelligunt; qui Epiſcopis, atq; ipſi etiam ſummo Pontifici omnem huiuſmodi honoris titulum adimunt.

Teſtís enim mihí eſt Deus.

Cum nulla iurãdi forma ex ſe ſit mala, tum hæc certè imprecatio talibus eſt ornata circunſtantijs, ut reſtringat nobis magis, quàm laxet iurandi licentiam.

Cuí ſeruío in Spíritu meo.

Cultus internus ita eſt proprius Chriſtianis, ut coniungi cum externo debeat: ut fuit hic cultus Pauli cum orationibus externis, in confuſionem Lutheranorũ copulatus.

Vt aliquíd ímpartíar vobís gratíæ Spírítualís ad cõfirmãdũ vos.

Magnam uim in illis inſtrumẽtis Deus poſuit, per quæ dona ſua impartiri hominibus cõſtituit; cùm eis maximas ſuas actiones, tanquam cauſis, attribui ſuſtineat: verùm quia eorum actio non tam formam (ut ita dicam) attingere, quàm circa diſpoſitionem uerſari uidetur; clamat Paulus, nihil eſſe eum, qui rigat, aut eum, qui plantat, præ eo qui dat incrementum.

Vt alíquem fructum habeam ín vobís.

Etſi ſerui legem abſq; conſilijs ſeruantes inutiles à Domino appellãtur, quòd nihil ſupererogent, fructum tamen et ſibi, & ſuis Dominis eos afferre legis impletione nec Chriſtus negat, & Paulus cùm alibi, tum hic apertè profitetur. Deſinant ergo Lutherani (qui, proh dolor, nimium utiles Sathanæ Domino ſuo ſunt) bonos Chriſtianos inutiles Chriſto eſſe contendere.

Nõ erubeſco Euangeliũ. Vírtus.n. Deí eſt ín ſalutẽ omní credẽtí.

Virtutem Euangelium habet, ut ſalutem afferat, quam auditum & creditum exerit: Cum exerit autē illam, aliquid haud dubiè in eo, qui ſalutem ipſam recipit, operatur. Repudiandum eſt igitur blaſphemum Hæreticorum cōmentum, exiſtimantiū iuſtificari homines per ſolam iuſtitiæ Chriſti imputationem.

Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur.

Iuſtitia, quæ reuelatur in Euangelio, non ideo Dei uocatur, quòd per eam ſe iuſtum Deus oſtendat promiſſum præſtans; ſed quòd ea nobis ex dono & gratia Dei per fidem Chriſti cōcedatur; quòdq; per eam iuſti non apud homines (qui falli poſſunt) ſed in Dei conſpectu inueniamur. Eadem etenim hæc iuſtitia in alijs ſcripturæ locis & Chriſti. & noſtra uocatur. Noſtra quidem, ne merè imputata exiſtimetur, cum poſſideatur à nobis.

Ex fide in fidem.

Præter ſeptem rationes interpretandi hæc uerba, de fide ſcilicet ueteris, ac noui teſtamenti: Vnius, atq; alterius ætatis: Terrenorū, ac ſempiternorū: Prædicantis, et audientis: Humana, et infuſa: Implicita, & explicita: Inchoante iuſtitiam, & perficiente; poſſet illa etiam fortaſſe locum aliquem habere; ut intelligamus reuelari in Euangelio iuſtitiam ex fide; quoniam iuſtitia, quæ reuelatur, fide nititur atq; conſiſtit. (In fidem.) ut fide uidelicet apprehendatur, ac conſeruetur; ſimilem enim uim hæc præpoſitio alijs etiam in locis habet; ut cū dicitur iuxta græcā lectionē: Ad obedientiam fidei: Item, Exhibete membra iuſtitiæ ad iuſtitiam.

Qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.

Huiuſmodi extitiſſe infideles omnes fatendum eſt; ut ratiocinatio Apoſtoli uim habeat.

Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis.

Quæ de Deo cognoſci poſſunt, & debent ut ſalutem conſequamur, non poſſunt ab homine abſq; ope Diuinæ gratiæ comparari. Nūquā igitur tēpora ignorantiæ ita deſpexit Deus, ut ex hoc loco colligimus, quin tāta gratiæ ſuæ luce hominibus affulſerit, quanta ſuffeciſſet obedientibus, & non ingratis ad intelligenda, quæ de ipſo cognoſci opus eſt.

Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.

Cum traditionem hanc nullus Catholicus factam eſſe putet, niſi per gratiæ ablationem, qua iuuabantur homines, & retardabantur, ne effrenatæ carnis deſiderijs ſeruirent, adeſſe huiuſmodi gratiam omnibus ſolere, niſi in pœnam peccati ipſorum

detrahatur, ex hoc loco haud obſcurè colligitur.

Ex Cap. 2.

Propter quod inexcuſabilis es o Homo omnis, qui iudicas.

Apoſtolus Gentilium impietate demonſtrata, qui à iuſtitia Dei cognita moribus diſce⸗debant, Iudæos, qui Gentiles ipſos iudicabant, eorum uitam uehementer increpan do hoc loco humiliat, & inexcuſabiles eſſe declarat; quòd pariter ipſi à Dei iu⸗ſtitia diſceſſiſſent, perpetrando illa eadem crimina, quæ in Gentilibus dānabant. Non accuſat igitur iudicia eorum temeritatis & iniuſtitiæ, ut cum alibi inquit: Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruū? & cum Dominus ait: Nolite iudicare, & non iudicabimini: Non enim poſſunt iniqua iudicia illa cenſeri; quibus quod aper tè malum eſt, improbatur.

Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pęnitentiam te adducit?

Quantò diutius expectatur peccator, tantò maior Dei bonitas erga illum oſtenditur; etſi abuſurus ille ſit, ac proinde grauius puniendus.

Secundum aūt duritiam tuā & ipęnitens cor theſaurizas tibi irā.

Impium eſt igitur non fateri, ſolum peccatorem ſuæ ſibi obdurationis, & dānationis cauſam eſſe; cum duro & impœnitenti corde longanimitatem, qua tam benignè a Deo uocatur, & expectatur, contemnit.

Tribulatio & anguſtia in oēm animam hominis operantis malū.

Nihil potuit dici expreſſius aduerſus Lutheranos, qui de ſua perinde, ut Iudæi, electione confiſi peccata ſibi non credunt imputanda, quæ ſuo tamen ipſorum teſtimonio aſſiduè, mortalia etiam, admittunt.

Gloria autem, honor, & pax omni operanti bonum.

Cùm his uerbis, tum illis antecedentibus: (qui reddit unicuiq; ſecūdū opera eius, ijs qui⸗dem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, et incorruptio nem quærunt, uitam æternam.) Liquidò oſtenditur ueriſſimam eſſe ſententiam, quam de meritis bonorum operum Catholici tuentur. Porrò cum ad hæc iamiam citata uerba de malis loquens addidit: (iis autem, qui ſunt ex contentione, et qui non acquieſcunt ueritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.) Non ſolœ ciſmum cōmiſit (ut minus conſideratè quidam aiunt) ſed data opera caſum muta uit, & per Eclypſim uerbum, eſt, aut, Reuelatur, ſubintelligi uoluit; ne diceret iram reddi malis ſicut Bonis uitam æternam.

Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.

Acceptio perſonarum uitium eſt propriè, quod aduerſus iuſtitiam diſtributiuam admittitur; cum in bonis conferendis, quæ dignis ac bene meritis diſtribui deberent, non diſcrimen meritorum inſpicitur, ſed perſonarum ratio habetur, id eſt cōditionum, quæ nihil meriti & dignitatis ad ea bona, quæ conferuntur, oſtendunt. Huiuſmodi acceptionem in Deo eſſe non poſſe, non ſolùm hoc oſtendit, quòd cadere in eum iniuſtitia nequeat; ſed illud etiam quòd quæ Deus confert, non ex debito iuſtitiæ, ſed ex mera gratia indignis & nihil merentibus donat. Cæterùm quoniam pro effuſa ſua in uniuerſum hominum genus bonitate Deus multa fœdera pepigit, quibus ſeipſum quodammodo (abſit blaſphemia uerbo) obligauit ad largienda certa quædam dona ijs, qui actiones præſtarent, quas in benigniſſimis et miſericordia plenis fœderibus ab hominibus ipſe exigit; Acceptor iam perſonarum uideretur, niſi omnibus, qui fœdera ſeruarent, promiſſa & pacta dona impartiretur. Hoc utiq; in ſenſu negat hic Paulus acceptionem perſonarum eſſe apud Deum. Et alibi hoc idem ſignificans affirmat Deum uelle omnes homines ſaluos fieri, quia nullos à ſuis pactis, & fœderibus excepit. Petrus etiam: In ueritate (inquit) comperi, quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum; ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Hoc quoq; in ſenſu admitti illa Gloſſæ ſententia poteſt, quam multi iniquè calūniantur; Deum acceptorem Perſonarum non eſſe, quia cauſas reſpicit, & non Perſonas. Eorum tamen opinionem, qui prædeſtinationem, & reprobationem aiunt ex meritorum, et demeritorum præuiſione ex neceſſitate manaſſe, quod alioquin, uitium acceptionis perſonarum aſcribi Deo oporteret, ut blaſphemam, & impiam reijciendam eſſe contendimus.

Quicunq; ſine lege peccauerunt.

Vbi lex non eſt; nec culpa, nec meritum eſſe pōt. Sed ſine lege peccaſſe Gentes dicūtur, quòd lege ſcripta, lata ſolis Iudæis, non tenerentur aſtricti.

Factores legis iuſtificabuntur.

Veriſſimam, et longé utiliſſimam ſententiam hæc uerba cōtinent ſimpliciſſimè interpretata. Profectò hominem iuſtum clarius definire non poſſumus, quàm ſi dicamus eum eſſe, qui facit quicquid debet; uel qui Deo debitum omne ſoluit. Debemus autem Deo impletionem legis charitatis erga ipſum, & erga proximos ab eo nobis

impoſitæ. Si facimus ergo hanc legem, Iuſti omnino ſumus, quemadmodum hæc uerba Pauli ſignificant. Verùm quia qui legem non facit, nec Deo ſoluit quod debet, iniuſtus efficitur, & nouum culpæ debitum contrahit, quo ita debilitatur, ut uires etiam ad ſoluendum prius debitum, ideſt ad faciendam legem non habeat. ſanctiſſimè ab Auguſt. dicitur factores quidem legis iuſtificari, at qui peccati debito obſtrictus eſt, & eius ſeruus effectus, factorem legis eſſe non poſſe, niſi prius à ſeruitute, & debito peccati per Chriſti gratiam liberetur. Lutherani uerò, qui negant ſe per Chriſti gratiam uires conſequi, ut factores legis fiant, nunquam haud dubiè iuſtificabuntur, ut ex hoc uno D. Pauli loco euidentiſſimè colligitur.

Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.

Aduerbium, Naturaliter ſiue nomen Naturæ (quo Græci utuntur) ita hoc in loco interpretari haud dubiè debet, ut ſtatum legis ſcriptæ excludat, non autem uirtutem gratiæ. Significatur enim his uerbis, legem ſcriptam ad iuſtitiam aſſequendam neceſſariam non eſſe: quoniam Gentes legem naturæ retinentes, & qui ſubditi legi ſcriptæ non erant, gratiam aſſecutæ ſunt ad faciendam legem, & aſſequendam iuſtitiam, non facta mutatione ſui ſtatus in ſtatum legis ſcriptæ.

Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimoniũ reddente illis conſcientia ipſorum.

Dictamen rectæ rationis, quod legem naturalem appellamus, opus legis uocat Apoſtolus: quoniam eandem uim ac functionem habet, ac lex ſcripta. admonet enim nos eorum, quæ facere, & uitare debemus; quod eſt uerum officium, atq; opus legis ſcriptæ. Quoniam autem abſq; gratia non præbet illa uires, nec propenſionem nobis, ut id, quod dictat, faciamus, æquè litera dici poteſt, atq; lex ſcripta; ſi de litera loquamur; ut contra Spiritum ab Apoſtolo opponitur. Porrò hanc naturæ legem habitualiter in cuiuſuis hominis mente hærentem intellectus practicus exerit, cum ex principijs ſyndereſeos (quæ lumen naturale ab alijs uocatur, & habitus eſt ipſius intellectus practici habitui illi intellectus ſpeculatiui reſpondens, quem generali uocabulo intellectum Philoſophi uocant) præcepta moralia colligit, quorum ſcientia conſcientia dicitur, quatenus per illam ſibi quiſq; ſententiam dicit de qualitate rerum, quas cogitat. Quamquam conſcientiæ nomine teſtimonium

etiam in uniuerſum ſignificetur, quod quiſq; homo ſibiipſi dat earum rerum, quas animo ſuo aut geſſit, aut gerit.

Si autem tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti uoluntatem eius.

Lex ſcripta gratia erat externa magnum ad rectè uiuendum adminiculum afferens; propterea quòd lex naturæ obruta & ſepulta manet, niſi diligenti ſtudio excolatur. Propter hoc igitur auxilium, quo Iudæi Gentibus antecellebant, grauius peccaſſe, quàm Gentiles meritò æſtimantur; ſicut & nos eum nunc grauiſſimè peccare diceremus, qui piorum multorum exhortationibus admonitus nō moueretur.

Confidis teipſum eſſe ducem cæcorum.

Non reprehenduntur Iudæi ab Apoſtolo, nec a Chriſto, quòd magiſtros ſe eſſe cæcorum dicerent; ſed quòd prauis ſuis moribus Gentiles à cultu ueri Dei alienarent & proſelytos ſuos gehennæ filios facerent. Inſectentur ergo (cum inſectatio afferre cōmodum aliquod poteſt) prauos Catholicorum mores Lutherani, ac bonos Catholicos in hac parte iuuent: Doctrinæ tamen & authoritati Prælatorum, quæ a Deo ſunt, nihil detrahant.

Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes.

Cum hoc ad exaggerandum Iudæorum peccatum dictum ſit, perſpicuum fit, malos Chriſtianos ſceleratiſſimos omnium hominum eſſe, nec ſuo tantùm nomine, ſed Iudæorum etiam, atq; Gentilium cauſa, inter quos Chriſti nomen propter ipſos blaſphematur, puniendos.

Circuncíſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues.

Non de cæremonia circunciſionis hic loquitur. nam quæſtionem, qua petitur, an ex ea fructus aliquis internus ad hominem ueniat, in quarto capite diſcutit. hic uerò circunciſionem accipit pro eo, quod eſt, eſſe Iudæum, phraſi ſibi familiari. Ait autē utile eſſe, eſſe Iudæum, id q; in tertio cap. ex eo probat, quòd ſolis Iudæis credita fuerint eloquia Dei. Declarat autem hic hanc gratiam, & utilitatem, habendi nempe legem, externam tantùm eſſe, nec internum ullum cōmodum afferre poſſe, niſi bonus eius uſus accedat.

Circuncíſio cordis in ſpiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

Laudem habet ex Deo circunciſio cordis; quia hominem reddit Deo gratum, reſecatione

affectus proprij amoris, quam ſpiritalis ipſius Dei gladius (.i.gratia) efficit. Verùm circunciſio carnis, quia carnem tantùm attingebat, & animi prauitatem non amputabat, laudem ex Deo non habebat, qualem nunc habet noui teſtamenti baptiſmus, qui ita corpus tingit, ut cor etiam abluat.

Ex cap. 3.

Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?

Promiſſiones Dei in pactionibus et fœderibus cõceptæ cõditiones excipiunt quas præſtare debent, quibus beneficia promittuntur. Inter quas fides uel prima eſt, uel una ex primis. Ergo quòd increduli Iudæi non aſſequantur quæ fuerũt illis per Prophetás promiſſa, non propterea fidelitas Dei euacuatur, ſed confirmatur potius.

Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & uincas, cùm iudicaris.

Dauid cum & fidelitatem Dei in promiſſionibus, ac legem, & conditionem ipſarum promiſſionum probè cognitam haberet, non eſt auſus ueniam peccati admiſſi petere, aut ſperare, niſi expleta conditione, ſub qua ueniam ipſam à Deo promiſſam fuiſſe intelligebat, quæ nimirum agnitio peccati cum eius confeſſione ac contritione eſt. Verùm hanc conditionem ubi præſtitit, audacter & ſumma cum fiducia petit; Miſerere mei Domine, quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: Miſerere (inquam) cùm ego conditionem, quam expoſcis, impleuerim; ut iuſtificeris in ſermonibus tuis, & uincas, cum iudicaris. Itaq; locus aptiſſimè citatus eſt à D. Paulo ad confirmandum in uniuerſum ueritatem Dei in promiſſionibus.

Eſt autem Deus uerax, omnis autem homo mendax.

Lutherani perperam & craſſe admodum ex hoc loco colligentes, nullum eſſe hominem, qui non aliquando mentiatur, ut ſe homines oſtendant, mentiuntur ſemper, nec illam ſententiam reformidant: Perdet Deus omnes, qui loquuntur mendacium. Contra omnes enim cõminationes ſatis ſe munitos eſſe ſola illa fide, quam iactant, arbitrantur. Nos ſignificatum eſſe his uerbis, Deum ſua natura ueracem eſſe; homines autem omnes uitiatæ naturæ conditione ad mendacium propendere, & mendaces proinde dici, non improbamus: magis tamen cum inſtituto ſermonis cohærere arbitramur, ut hũc prædictis uerbis ſenſum tribuamus; Audiendos non eſſe calũniatores, qui Deum quaſi labefactorem fidei incuſant.

Etenim Deum, qui ſumma Bonitas, & iuſtitia eſt, ſuapte natura eſſe ueracem, ac ueritatis omnis fontem; Quemuis autem hominem Deo contradicentem, uel cum eo non uſquequaq; conſentientem ex neceſſitate eſſe mendacem.

Nunquid iniquus eſt Deus, qui infert iram.

Argumentum, quo Paulus demonſtrat Deum iniquum non eſſe, quòd iniquitatem puniat, quòdq; mundum iudicaturus ſit in æquitate, euidenter etiam oſtendit, Deum authorem peccati, contra blaſphemos & impios quoſdam Lutheranos, eſſe non poſſe. Vnde rurſus neceſſariò etiam conſequitur, aut tam libero arbitrio præditum eſſe hominem, ut committere plena libertate contradictionis illud ſaltem peccatum poſſit, quo primum Dei gratiam amittit, & in ipſius indignationem incurrit: aut peccatum nullum in mundo eſſe: aut iniuſtum eſſe Deum (ut ſecundum hominem more D. Pauli loquamur) qui iram inferat. Si difficile autem uidetur (ut certè eſt difficillimum) coniungere hanc plenam libertatem cum æterna & immutabili illa rerum omnium præſcientia; quam Deus non ab ullis extra ſe rebus (ut Theologi docent) ſed ex ſui ſolius cognitione accipit: præſtat utiq; tarditatem noſtri ingenij, & multarum rerum ignorationem ingenuè fateri, quàm hanc tam illuſtrem ueritatem, quæ totius religionis fundamentum eſt, ſacrilega mente abijcere.

Sicut ſcriptum eſt, quia non eſt iuſtus quiſquam, &c.

Propoſuerat D. Paulus, Iudæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe; Id quod talem habet ſenſum: Omnes homines Iudæos iuxtà, ac Græcos natos eſſe filios iræ, & peccati debito obligatos, à quo liberari nec hi per naturæ legem, nec illi per ſcriptam poterant. Debito autem illo manente neutros etiam ſuam legem præſtitiſſe, Exceptis paucis (quorum hic mentionem prudens omittit) qui ſingulari inſpiratione, & ope Spiritus ſancti fidem Chriſti, & gratiam receperunt, qua & liberari à peccato, & iuſtè deinceps uiuere poſſent. cuiuſmodi aliquot quauis ætate in utroq; populo fuiſſe, ambigi non debet. Cum propoſuiſſet igitur Iudæos, et Græcos omnes ſub peccato eſſe, idq; de Gentibus pro comperto haberi non ignoraret; ut idem de Iudæis cenſendum eſſe demonſtret, plurima ex uarijs ſcripturæ locis teſtimonia citat, tam apto ordine digeſta, ut peccata uideatur ſuis gradibus diſtinxiſſe. Inter quæ abiectionem timoris Domini in extremo loco tanquã in ſũmo perditionis gradu collocat; Non eſt, inquiens, Timor Domini ante oculos

eius: Quem locum, uerendum eſt, ne Lutherani nunc occupent, qui per electionis ſuæ præſumptam ſecuritatem, ſalutis omnem timorem excutiunt.

Quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro corã illo.

Quòd uerba hæc ad ſolos Iudæos ab Apoſtolo dirigãtur; apparet ſola legis ſcriptæ opera in ea eſſe ſignificata. Sententia ipſa alioquin uniuerſaliter pronunciata de omnibus & naturæ, & legis ſcriptæ operibus longè eſt uerißima, nec ita diſſicilis ad intelligendum. Etenim cum omnes homines naſcamur obſtricti debito peccati, quo manente non poſſumus (ut antea explicatum eſt) alterum debitum, quod in impletione legis ſitum eſt, ſoluere: niſi nos profectò prius filius liberauerit à debito peccati, debitum ipſum pro nobis ſoluendo, & niſi uires reſtituerit, ut implere legem poſſimus, nunquam iuſti erimus, nec liberi ad ipſam legem præſtandam.

Per legem enim cognitio peccati.

Efficacißimo argumento oſtendit Paulus nec legem naturæ, nec ſcriptam iuſtificare, quoniam neutra liberat nos à peccatis præteritis, nec ad ſe implendam uires ſuppetit, ſed lucem tantùm affert, ut officia à peccatis diſcernamus; quod eſt magnũ quidem beneficium, uerùm eiuſmodi, quod non tam prodeſt ad iuſtitiam aſſequendam, quàm ad iniuſtitiam noſtram agnoſcendam.

Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt.

De iuſtitia loquitur, qua liberatur impius à debito, & ſeruitute peccati, & Deo primùm reconciliatur. Hanc certum eſt per impletionem legis homini non contingere, ſed ad implendam potius legem tam neceſſariam eſſe, quàm eſt ſanitas ad ſana opera ædenda. Venit autem illa, ut poſtea ſequitur, per fidem Ieſu Chriſti: Nam cum ſolus Chriſtus ingens peccati debitum exoluerit, numerans pro eo in cruce pretium Patri ſuo, & delens, quod aduerſus nos erat, chirographum decreti, huius nos ſolutionis participes non efficimur, niſi per donum fidei, quæ cum odio peccati, & amore Dei coniuncta ſit. Hæc igitur iuſtitia, quæ ſine lege per fidem Ieſu Chriſti nobis aduenit, non facit nos à lege moralium præceptorum ſolutos, ut Ockinus infœlix, & alij Epicurei uoluptatum amatores magis, quàm Dei, impijſſimè interpretantur, ſed liberos nos à ſeruitute peccati, & ſanos reddit, ut implere legem poßimus, & charitatis debitum ſoluere, cuius ſolutio noſtra uera & propria iuſtitia eſt, ut antea diximus.

Quem propoſuit Deus propitiatorē per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ.

Tanti pretij erat ſanguis ille, quem pro noſtra redemptione Chriſtus in cruce Patri ſuo obtulit, & cuius nos per fidem participes eſſe uoluit, ut æſtimatione Diuina magnitudinem grauiſſimi debiti omnium peccatorum uniuerſi mundi uel æquarit, uel etiam ſuperarit. Hanc *ob rem oſtenſam fuiſſe in hac propitiatione, et cōmutatione Diuinam iuſtitiam, Apoſtolus teſtatur, cui haud obſcurè repugnare illi uidentur, qui potuiſſe fieri aiunt, ut per puram creaturam æquè, ac per Chriſtum, genus humanum redimeretur.*

Propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore.

Qui colligunt ex hoc loco ſacrificium in cruce peractum oblatum non fuiſſe pro peccatis, quæ poſt baptiſmum perpetrantur, ſed pro illis tantùm, quæ baptiſmum præceſſerunt, nouam & Chriſtianis auribus inauditam doctrinam abſq; ulla probabili ratione inducunt. Locum certè hunc obſcurum reddit uox latina, Remiſſio; & græca πάρεσις; *quæ tamen ſi (ut plurimis ueteribus Græcis placet) non accipitur hic pro deletione peccatorum, ſed pro malo, quod peccata afferunt animæ, quam extenuatam, & remiſſam ad bona opera efficiunt, nec remiſſam modò, uerùmetiam mortificatam, ac uelut tabe & paralyſi confectam, nulla erit in ſententia ambiguitas. Si autem remiſſionem cum latinis interpretibus pro peccatorum deletione ſumamus, dicimus ſignificatum eſſe hic, per gratiam iuſtificationis non impunitatem futurorum peccatorum, ſed remiſſionem tantùm præcedentium concedi, ut delictis mortui deinceps iuſtitiæ uiuamus.*

Vbi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. per quam legem? factorū? non, ſed per legem fidei.

Lex *fidei (ut ſimpliciter locutionem Apoſtoli interpretemur) lex Diuina eſt; quæ præcipit, ne putemus remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam, qua Deo placemus, uenire nobis per obedientiam, quam in obſeruanda ipſius lege nos antea præſtite~~per Ieſum~~ rimus, ſed credamus uenire [per Ieſum] Chriſtum; qui mortuus eſt propter deli-*

ſta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram; ut ſanitatem, & gratiam acciperemus, per quæ in bonis operibus, quæ diuinæ ſuæ maieſtati grata & accepta ſunt, ambularemus. Lex autem operum, lex eſt uel ſcripta, uel in mentibus hominum naturaliter impreſſa, quæ regulas, & præcepta morum tradit. Hæc lex operum nec docet hominem, ut non in ſeipſo, ſed in Dei gratia et miſericordia glorietur; & cum extrinſecus impletur, glorioſum reddit hominem apud alios homines; At lex fidei omnem noſtram gloriationem excludit, & in animo tota latet.

Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.

De iuſtificatione impij agitur; ut cum ſuprà dixit, iuſtitiam Dei ſine lege manifeſtatam eſſe: Quare legis nomine omnem hic morum legem ſiue ſcriptam, ſiue naturalem intelligere debemus; nec audiẽdi ulla ratione ſunt, qui cæremonias tantùm Iudæorum ſignificatas eſſe contendunt.

An Iudæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? Imo & Gentium.

Sententia hæc eundem habet ſenſum, atq; illæ duæ; Non eſt acceptio perſonarũ apud Deum. Et Deus uult omnes homines ſaluos fieri. Perſpicuè autem demonſtrat, quod ſuprà diximus, pactiones de conferenda iuſtitia, & æterna beatitudine, quæ omnium hominum ſupremus eſt finis, conditiones habere non proprias alicui genti, uel nationi, ſed omnibus hominibus ex neceſſitate cõmunes. Affert autem hoc, ut oſtendat obſeruationem ſcriptæ legis non fuiſſe medium ad iuſtitiam aſſequendam in illo diuino fœdere incluſum, quòd lex ſcripta ſolis Iudæis à Deo eſſet tradita. Vnde perſpicuum fit, ijs, qui ex induſtria claudere oculos nolunt, circuncisionem medium etiam non fuiſſe ad iuſtificandos homines à Deo inſtitutum.

Legem ergo deſtruimus per fidem? abſit, ſed legem ſtatuimus.

Etſi iuſtitia, & peccatorum remiſſio per fidem Chriſti nobis ueniat, & non per legis uel ſcriptæ, uel naturalis obſeruationem; cum per fidem tamen uires comparamus ad legem præſtandam, & eam iuſtitiam, quæ in ipſius impletione ſita eſt, aſſequendam, non deſtruit profectò fides legem, ſed potius ſta-

DIFFICILEM eſſe et perobſcuram epiſtolam D. Pauli ad Romanos cum Sanctorum teſtimonia, tum ipſa experiētia ita demonſtrat, ut neceſſum ſit, Lutheranos, qui facilem eam contra oīum ſententiam eſſe iactant, non germanum Pauli, ſed ſuum ipſorū ſenſum & affectum in ea intelligere; nec ſe ad Pauli iudicium, ſed ipſius uerba ad ſuum iudicium ſūma peruerſitate accōmodare.

Quæſtio porrò, quæ in hac Epiſtola præcipuè tractatur, hæc eſt. An Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti ſolis Iudæis uenerit propter merita operum ſcriptæ legis: An uerò nullis operum meritis præcedentibus, quæ uel ex lege ſcripta eſſent, uel extra legem, uniuerſis hominibus ethnicis iuxtà, atq; Iudæis iuſtificatio fidei fuerit oblata; ut non, quia iuſti erāt, ipſi crederent; ſed credendo ſic ſint ſanati ac iuſtificati; ut uiuere rectè poſtea per gratiam iuſtificationis abſq; legis adminiculo poſſent. Ex Cap. Primo.

Paulus ſeruus Ieſu Chriſti.

Serui ſūt fideles et dei propter naturā, et Chriſti peculiariter propter gratiā redēptiōis. Non ergo miniſterij tantum cauſa (ut quidam aiunt) aut quòd humiliter de ſe ſentiret, ſe ſeruum Paulus uocauit, ſed quia conditione talis erat.

Vocatus Apoſtolus.

Apoſtolatum perperam Hæretici tradunt nomē tantùm functionis fuiſſe, ut legationē. Eſt nomen eius dignitatis & poteſtatis, quæ ſuprema eſt et neceſſaria in Eccle[illegible] ueq; nec abſq; ordinatione cuiquam contingit; nec ſine uocatione præſumenda eſt; ut præſumitur nunc à Lutheranis, qui tanquā latrones aliunde, quàm per oſtium, intrant.

Quod antè promiſerat per Prophetas ſuos.

Non ſunt æſtimandi Prophetæ ij, quos uel eximia uitæ ſanctitas, uel miracula ædita, uel euentus manifeſtus rerum contingentium, quas prædixerunt, non cōmendat; uel quos Eccleſia tales eſſe ſua approbatione non declarat. Quare tutius eſt prædictiones & reuelationes quorumuis aliorum ſuſpectas habere, quàm nimis uehementer ei[illegible] aſſentiri.

Qui prædeſtinatus eſt filius Dei.

Planius uocabulum Latinis fuiſſet, Declaratus: ſed uerba & ſenſus Apoſtoli magis exigunt uocem, Prædeſtinatus.

Per quem accepimus gratiam.

Etſi non careat rõne, ꝙ ſcriptura præpoſitionem (per) Chriſto et ut Deo, et ut homini adiungat; ſuperſtitioſum tamen et Hæreticum eſt Diuinas Perſonas ex particu-lis diſtinguere.

Ad obediendum fidei.

Unico hoc uerbo, ſiue eo, quod græcè habetur (In obedientiam fidei) ſatis profligatur Lutherana fides, indigna, quæ manducet uitæ panem, cum nihil laboret niſi ma lum. longè enim aliud eſt obedire fidei, quàm fidem iactare.

Vocatos ſanctos.

Chriſtiani etſi moribus ſint prophani (ut aliquos Romæ fuiſſe tempore Pauli ueriſimile eſt) propter profeſſionem tamen rectè ſancti et dilecti dici poſſunt. Lutherani nõ hoc intelligunt; qui Epiſcopis, atq; ipſi etiam ſummo Pontifici omnem huiuſmodi honoris titulum adimunt.

Teſtis enim mihi eſt Deus.

Cum nulla iurãdi forma ex ſe ſit mala, tum hæc certè imprecatio talibus eſt ornata cir cunſtantijs, ut reſtringat nobis magis, quàm laxet iurandi licentiam.

Cui ſeruio in Spiritu meo.

Cultus internus ita eſt proprius Chriſtianis, ut coniungi cum externo debeat: ut fuit hic cultus Pauli cum orationibus externis, in confuſionem Lutheranorũ copulatus.

Vt aliquid impartiar vobis gratiæ Spiritualis ad cõfirmãdũ vos.

Magnam uim in illis inſtrumẽtis Deus poſuit, per quæ dona ſua impartiri hominibus cõ ſtituit; cùm eis maximas ſuas actiones, tanquam cauſis, attribui ſuſtineat: Ve-rùm quia eorum actio non tam formam (ut ita dicam) attingere, quàm circa di ſpoſitionem uerſari uidetur; clamat Paulus, nihil eſſe eum, qui rigat, aut eum, qui plantat, præ eo qui dat incrementum.

Vt aliquem fructum habeam in vobis.

Etſi ſerui legem abſq; conſilijs ſeruantes inutiles à Domino appellãtur, quòd nihil ſuper-erogent fructum tamen et ſibi, & ſuis Dominis eos afferre legis impletione nec Chriſtus negat, & Paulus cùm alibi, tum hic apertè profitetur. Deſinant ergo Lutherani (qui, proh dolor, nimium utiles ſathanæ Domino ſuo ſunt) bonos Chri ſtianos inutiles Chriſto eſſe contendere.

Nõ erubeſco Euangeliũ. Virtus.n. Dei eſt in ſalutẽ omni credẽti.

Virtutem Euangelium habet, ut ſalutem afferat, quam auditum & creditum exerit: Cum exerit autẽ illam, aliquid haud dubiè in eo, qui ſalutem ipſam recipit, operatur. Repudiandum eſt igitur blaſphemum Hæreticorum cõmentum, exiſtimantiũ iuſtificari homines per ſolam iuſtitiæ Chriſti imputationem.

Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur.

Iuſtitia, quæ reuelatur in Euangelio, non ideo Dei uocatur, quòd per eam ſe iuſtum Deus oſtendat promiſſum præſtans; ſed quòd ea nobis ex dono & gratia Dei per fidem Chriſti cõcedatur; quòdq; per eam iuſti non apud homines (qui falli poſſunt) ſed in Dei conſpectu inueniamur. Eadem etenim hæc iuſtitia in alijs ſcripturæ locis & Chriſti. & noſtra uocatur. Noſtra quidem, ne merè imputata exiſtimetur, cum poſſideatur à nobis.

Ex fide in fidem.

Præter ſeptem rationes interpretandi hæc uerba, de fide ſcilicet ueteris, ac noui teſtamenti: Vnius, atq; alterius ætatis: Terrenorũ, ac ſempiternorũ: Prædicantis, et audientis: Humana, et infuſa: Implicita, & explicita: Inchoante iuſtitiam, & perficiente; poſſet illa etiam fortaſſe locum aliquem habere; ut intelligamus reuelari in Euangelio iuſtitiam ex fide; quoniam iuſtitia, quæ reuelatur, fide nititur atq; conſiſtit. (In fidem.) ut fide uidelicet apprehendatur, ac conſeruetur; ſimilem enim uim hæc præpoſitio alijs etiam in locis habet; ut cũ dicitur iuxta græcã lectionẽ: Ad obedientiam fidei: Item, Exhibete membra iuſtitiæ ad iuſtitiam.

Qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.

Huiuſmodi extitiſſe infideles omnes fatendum eſt; ut ratiocinatio Apoſtoli uim habeat.

Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis.

Quæ de Deo cognoſci poſſunt, & debent ut ſalutem conſequamur, non poſſunt ab homine abſq; ope Diuinæ gratiæ comparari. Nũquã igitur tẽpora ignorantiæ ita deſpexit Deus, ut ex hoc loco colligimus, quin tãta gratiæ ſuæ luce hominibus affulſerit, quanta ſuffeciſſet obedientibus, & non ingratis ad intelligenda, quæ de ipſo cognoſci opus eſt.

Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.

Cum traditionem hanc nullus Catholicus factam eſſe putet, niſi per gratiæ ablationem, qua iuuabantur homines, & retardabantur, ne effrenatæ carnis deſiderijs ſeruirent, adeſſe huiuſmodi gratiam omnibus ſolere, niſi in pœnam peccati ipſorum

detrahatur, ex hoc loco haud obſcurè colligitur.

Ex Cap. 2.

Propter quod inexcuſabilis es o Homo omnis, qui iudicas.

Apoſtolus Gentilium impietate demonſtrata, qui à iuſtitia Dei cognita moribus diſcedebant, Iudæos, qui Gentiles ipſos iudicabant, eorum uitam uehementer increpando hoc loco humiliat, & inexcuſabiles eſſe declarat; quòd pariter ipſi à Dei iuſtitia diſceſſiſsent, perpetrando illa eadem crimina, quæ in Gentilibus dãnabant. Non accuſat igitur iudicia eorum temeritatis & iniuſtitiæ, ut cum alibi inquit: Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruũ? & cum Dominus ait: Nolite iudicare, & non iudicabimini: Non enim poſſunt iniqua iudicia illa cenſeri, quibus quod apertè malum eſt, improbatur.

Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pęnitentiam te adducit?

Quantò diutius expectatur peccator, tantò maior Dei bonitas erga illum oſtenditur; etſi abuſurus ille ſit, ac proinde grauius puniendus.

Secundum aũt duritiam tuã & ipęnitens cor theſaurizas tibi irã.

Impium eſt igitur non fateri, ſolum peccatorem ſuæ ſibi obdurationis, & dãnationis cauſam eſſe; cum duro & impœnitenti corde longanimitatem, qua tam benignè a Deo uocatur, & expectatur, contemnit.

Tribulatio & anguſtia in oẽm animam hominis operantis malũ.

Nihil potuit dici expreſſius aduerſus Lutheranos, qui de ſua perinde, ut Iudæi, electione confiſi peccata ſibi non credunt imputanda, quæ ſuo tamen ipſorum teſtimonio aſſiduè, mortalia etiam, admittunt.

Gloria autem, honor, & pax omni operanti bonum.

Cùm his uerbis, tum illis antecedentibus: (qui reddit unicuiq; ſecũdũ opera eius, ijs quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, et incorruptionem quærunt, uitam æternam.) Liquidò oſtenditur uerißimam eſſe ſententiam, quam de meritis bonorum operum Catholici tuentur. Porrò cum ad hæc iamiam citata uerba de malis loquens addidit: (Iis autem, qui ſunt ex contentione, et qui non acquieſcunt ueritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.) Non ſolœciſmum cõmiſit (ut minus conſideratè quidam aiunt) ſed data opera caſum mutauit, & per Eclypſim uerbum, eſt, aut, Reuelatur, ſubintelligi uoluit; ne diceret iram reddi malis ſicut Bonis uitam æternam.

Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.

Acceptio perſonarum uitium eſt propriè, quod aduerſus iuſtitiam diſtributiuam admittitur; cum in bonis conferendis, quæ dignis ac bene meritis diſtribui deberent, non diſcrimen meritorum inſpicitur, ſed perſonarum ratio habetur, id eſt cōditionum, quæ nihil meriti & dignitatis ad ea bona, quæ conferuntur, oſtendunt. Huiuſmodi *acceptionem in Deo eſſe non poſſe, non ſolùm hoc oſtendit, quòd cadere in eum iniuſtitia nequeat; ſed illud etiam quòd quæ Deus confert, non ex debito iuſtitiæ, ſed ex mera gratia indignis & nihil merentibus donat. Cæterùm quoniam pro effuſa ſua in uniuerſum hominum genus bonitate Deus multa fœdera pepigit, quibus ſeipſum quodammodo (abſit blaſphemia uerbo) obligauit ad largienda certa quædam dona ijs, qui actiones præſtarent, quas in benigniſſimis et miſericordia plenis fœderibus ab hominibus ipſe exigit;* Acceptor *iam perſonarum uideretur, niſi omnibus, qui fœdera ſeruarent, promiſſa & pacta dona impartiretur.* Hoc *utiq; in ſenſu negat hic Paulus acceptionem perſonarum eſſe apud* Deum. *Et alibi hoc idem ſignificans affirmat Deum uelle omnes homines ſaluos fieri, quia nullos à ſuis pactis, & fœderibus excepit.* Petrus *etiam: In ueritate (inquit) comperi, quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum; ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Hoc *quoq; in ſenſu admitti illa* Gloſſæ *ſententia poteſt, quam multi iniquè calūniantur; Deum acceptorem Perſonarum non eſſe, quia cauſas reſpicit, & non* Perſonas. Eorum *tamen opinionem, qui prædeſtinationem, & reprobationem aiunt ex meritorum, et demeritorum præuiſione ex neceſſitate manaſſe, quod alioquin, uitium acceptionis perſonarum aſcribi Deo oporteret, ut blaſphemam, & impiam reijciendam eſſe contendimus.*

Quicunq; ſine lege peccauerunt.

Vbi lex non eſt; nec culpa, nec meritum eſſe pōt. Sed ſine lege peccaſſe Gentes dicūtur, quòd lege ſcripta, lata ſolis Iudæis, non tenerentur aſtricti.

Factores legis iuſtificabuntur.

Veriſſimam, et longè utiliſſimam ſententiam hæc uerba cōtinent ſimpliciſſimè interpretata. Profectò *hominem iuſtum clarius definire non poſſumus, quàm ſi dicamus eum eſſe, qui facit quicquid debet; uel qui Deo debitum omne ſoluit. Debemus autem Deo impletionem legis charitatis erga ipſum, & erga proximos ab eo nobis*

impoſitæ. Si facimus ergo hanc legem, Iuſti omnino ſumus, quemadmodum hæc uerba Pauli ſignificant. Verùm quia qui legem non facit, nec Deo ſoluit quod debet, iniuſtus efficitur, & nouum culpæ debitum contrahit, quo ita debilitatur, ut uires etiam ad ſoluendum prius debitum, ideſt ad faciendam legem non habeat. ſanctiſſimè ab Auguſt. dicitur factores quidem legis iuſtificari, at qui peccati debito obſtrictus eſt, & eius ſeruus effectus, factorem legis eſſe non poſſe, niſi prius à ſeruitute, & debito peccati per Chriſti gratiam liberetur. Lutherani uerò, qui negant ſe per Chriſti gratiam uires conſequi, ut factores legis fiant, nunquam haud dubiè iuſtificabuntur, ut ex hoc uno D. Pauli loco euidentiſſimè colligitur.

Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.

Aduerbium, Naturaliter ſiue nomen Naturæ (quo Græci utuntur) ita hoc in loco interpretari haud dubiè debet, ut ſtatum legis ſcriptæ excludat, non autem uirtutem gratiæ. Significatur enim his uerbis, legem ſcriptam ad iuſtitiam aſſequendam neceſſariam non eſſe: quoniam Gentes legem naturæ retinentes, & qui ſubditi legi ſcriptæ non erant, gratiam aſſecutæ ſunt ad faciendam legem, & aſſequendam iuſtitiam, non facta mutatione ſui ſtatus in ſtatum legis ſcriptæ.

Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimoniũ reddente illis conſcientia ipſorum.

Dictamen rectæ rationis, quod legem naturalem appellamus, opus legis uocat Apoſtolus: quoniam eandem uim ac functionem habet, ac lex ſcripta. admonet enim nos eorum, quæ facere, & uitare debemus; quod eſt uerum officium, atq; opus legis ſcriptæ. Quoniam autem abſq; gratia non præbet illa uires, nec propenſionem nobis, ut id, quod dictat, faciamus, æquè litera dici poteſt, atq; lex ſcripta; ſi de litera loquamur, ut contra Spiritum ab Apoſtolo opponitur. Porrò hanc naturæ legem habitualiter in cuiuſuis hominis mente hærentem intellectus practicus exerit, cum ex principijs ſyndereſeos (quæ lumen naturale ab alijs uocatur, & habitus eſt ipſius intellectus practici habitui illi intellectus ſpeculatiui reſpondens, quem generali uocabulo intellectum Philoſophi uocant) præcepta moralia colligit, quorum ſcientia conſcientia dicitur, quatenus per illam ſibi quiſq; ſententiam dicit de qualitate rerum, quas cogitat. Quamquam conſcientiæ nomine teſtimonium

etiam in uniuerſum ſignificetur, quod quiſq; homo ſibiÿpſi dat earum rerum, quas animo ſuo aut geſſit, aut gerit.

Si autem tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti uoluntatem eius.

Lex ſcripta gratia erat externa magnum ad rectè uiuendum adminiculum afferens; propterea quòd lex naturæ obruta & ſepulta manet, niſi diligenti ſtudio excolatur. Propter hoc igitur auxilium, quo Iudæi Gentibus antecellebant, grauius peccaſſe, quàm Gentiles meritò æſtimantur; ſicut & nos eum nunc grauiſſimè peccare diceremus, qui piorum multorum exhortationibus admonitus nõ moueretur.

Confidis teipſum eſſe ducem cæcorum.

Non reprehenduntur Iudæi ab Apoſtolo, nec a Chriſto, quòd magiſtros ſe eſſe cæcorum dicerent; ſed quòd prauis ſuis moribus Gentiles à cultu ueri Dei alienarent & proſelytos ſuos gehennæ filios facerent. Inſectentur ergo (cum inſectatio afferre cõmodum aliquod poteſt) prauos Catholicorum mores Lutherani, ac bonos Catholicos in hac parte iuuent: Doctrinæ tamen & authoritati Prælatorum, quæ a Deo ſunt, nihil detrahant.

Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes.

Cum hoc ad exaggerandum Iudæorum peccatum dictum ſit, perſpicuum ſit, malos Chriſtianos ſceleratiſſimos omnium hominum eſſe, nec ſuo tantùm nomine, ſed Iudæorum etiam, atq; Gentilium cauſa, inter quos Chriſti nomen propter ipſos blaſphematur, puniendos.

Circuncíſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues.

Non de cæremonia circunciſionis hic loquitur. nam quæſtionem, qua petitur, an ex ea fructus aliquis internus ad hominem ueniat, in quarto capite diſcutit. hic uerò circunciſionem accipit pro eo, quod eſt, eſſe Iudæum, phraſi ſibi familiari. Ait autẽ utile eſſe, eſſe Iudæum, id q; in tertio cap. ex eo probat, quòd ſolis Iudæis credita fuerint eloquia Dei. Declarat autem hic hanc gratiam, & utilitatem, habendi nempe legem, externam tantùm eſſe, nec internum ullum cõmodum afferre poſſe, niſi bonus eius uſus accedat.

Circunciſio cordis in ſpiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

Laudem habet ex Deo circunciſio cordis; quia hominem reddit Deo gratum, reſecatione affectus

affectus proprij amoris, quam ſpiritalis ipſius Dei gladius (.i.gratia) efficit. Verùm circunciſio carnis, quia carnem tantùm attingebat, & animi prauitatem non amputabat, laudem ex Deo non habebat, qualem nunc habet noui teſtamenti baptiſmus, qui ita corpus tingit, ut cor etiam abluat.

Ex cap. 3.

Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?

Promiſſiones Dei in pactionibus et fœderibus cóceptæ códitiones excipiunt quas præſtare debent, quibus beneficia promittuntur. Inter quas fides uel prima eſt, uel una ex primis. Ergo quòd increduli Iudæi non aſſequantur quæ fuerũt illis per Prophetas promiſſa, non propterea fidelitas Dei euacuatur, ſed confirmatur potius.

Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & uincas, cùm iudicaris.

Dauid cum & fidelitatem Dei in promiſſionibus, ac legem, & conditionem ipſarum promiſſionum probè cognitam haberet, non eſt auſus ueniam peccati admiſſi petere, aut ſperare, niſi expleta conditione, ſub qua ueniam ipſam à Deo promiſſam fuiſſe intelligebat, quæ nimirum agnitio peccati cum eius confeſſione ac contritione eſt. Verùm hanc conditionem ubi præſtitit, audacter & ſumma cum fiducia petit; Miſerere mei Domine, quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: Miſerere (inquam) cùm ego conditionem, quam expoſcis, impleuerim; ut iuſtificeris in ſermonibus tuis, & uincas, cum iudicaris. Itaq; locus aptiſſimè citatus eſt à D. Paulo ad confirmandum in uniuerſum ueritatem Dei in promiſſionibus.

Eſt autem Deus uerax, omnis autem homo mendax.

Lutherani perperam & craſſe admodum ex hoc loco colligentes, nullum eſſe hominem, qui non aliquando mentiatur, ut ſe homines oſtendant, mentiuntur ſemper, nec illam ſententiam reformidant: Perdet Deus omnes, qui loquuntur mendacium. Contra omnes enim cõminationes ſatis ſe munitos eſſe ſola illa fide, quam iactant, arbitrantur. Nos ſignificatum eſſe his uerbis, Deum ſua natura ueracem eſſe; homines autem omnes uitiatæ naturæ conditione ad mendacium propendere, & mendaces proinde dici, non improbamus: magis tamen cum inſtituto ſermonis cohærere arbitramur, ut hũc prædictis uerbis ſenſum tribuamus; Audiendos non eſſe calũniatores, qui Deum quaſi labefactorem fidei incuſant.

Etenim Deum, qui ſumma Bonitas, & iuſtitia eſt, ſuapte natura eſſe ueracem, ac ueritatis omnis fontem; Quemuis autem hominem Deo contradicentem, uel cum eo non uſquequaq; conſentientem ex neceſſitate eſſe mendacem.

Nunquid iniquus eſt Deus, qui infert iram.

Argumentum, quo Paulus demonſtrat Deum iniquum non eſſe, quòd iniquitatem puniat, quòdq; mundum iudicaturus ſit in æquitate, euidenter etiam oſtendit, Deum authorem peccati, contra blaſphemos & impios quoſdam Lutheranos, eſſe non poſſe. Vnde rurſus neceſſariò etiam conſequitur, aut tam libero arbitrio præditum eſſe hominem, ut committere plena libertate contradictionis illud ſaltem peccatum poſſit, quo primum Dei gratiam amittit, & in ipſius indignationem incurrit: aut peccatum nullum in mundo eſſe: aut iniuſtum eſſe Deum (ut ſecundum hominem more D. Pauli loquamur) qui iram inferat. Si difficile autem uidetur (ut certè eſt difficillimum) coniungere hanc plenam libertatem cum æterna & immutabili illa rerum omnium præſcientia, quam Deus non ab ullis extra ſe rebus (ut Theologi docent) ſed ex ſui ſolius cognitione accipit: præſtat utiq; tarditatem noſtri ingenij, & multarum rerum ignorationem ingenuè fateri, quàm hanc tam illuſtrem ueritatem, quæ totius religionis fundamentum eſt, ſacrilega mente abijcere.

Sicut ſcriptum eſt, quia non eſt iuſtus quiſquam, &c.

Propoſuerat D. Paulus, Iudæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe; Id quod talem habet ſenſum: Omnes homines Iudæos iuxtà, ac Græcos natos eſſe filios iræ, & peccati debito obligatos, à quo liberari nec hi per naturæ legem, nec illi per ſcriptam poterant. Debito autem illo manente neutros etiam ſuam legem præſtitiſſe, Exceptis paucis (quorum hic mentionem prudens omittit) qui ſingulari inſpiratione, & ope Spiritus ſancti fidem Chriſti, & gratiam receperunt, qua & liberari à peccato, & iuſtè deinceps uiuere poſſent. cuiuſmodi aliquot quauis ætate in utroq; populo fuiſſe, ambigi non debet. Cum propoſuiſſet igitur Iudæos, et Græcos omnes ſub peccato eſſe, idq; de Gentibus pro comperto haberi non ignoraret, ut idem de Iudæis cenſendum eſſe demonſtret, plurima ex uarijs ſcripturæ locis teſtimonia citat, tam apto ordine digeſta, ut peccata uideatur ſuis gradibus diſtinxiſſe. Inter quæ abiectionem timoris Domini in extremo loco tanquã in ſummo perditionis gradu collocat; Non eſt; inquiens, Timor Domini ante oculos

eius: Quem locum, uerendum eſt, ne Lutherani nunc occupent, qui per electio-nis ſuæ præſumptam ſecuritatem, ſalutis omnem timorem excutiunt.

Quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro corã illo.

Quòd uerba hæc ad ſolos Iudæos ab Apoſtolo dirigãtur; apparet ſola legis ſcriptæ ope-ra in ea eſſe ſignificata. ſententia ipſa alioquin uniuerſaliter pronunciata de omnibus & naturæ, & legis ſcriptæ operibus longè eſt uerißima, nec ita diffi-cilis ad intelligendum. Etenim cum omnes homines naſcamur obſtricti debito peccati, quo manente non poſſumus (ut antea explicatum eſt) alterum debitum, quod in impletione legis ſitum eſt, ſoluere: niſi nos profectò prius filius liberaue-rit à debito peccati, debitum ipſum pro nobis ſoluendo, & niſi uires reſtituerit, ut implere legem poſſimus, nunquam iuſti erimus, nec liberi ad ipſam legem præſtandam.

Per legem enim cognitio peccati.

Efficacißimo argumento oſtendit Paulus nec legem naturæ, nec ſcriptam iuſtificare, quoniam neutra liberat nos à peccatis præteritis, nec ad ſe implendam uires ſup-petit, ſed lucem tantùm affert, ut officia à peccatis diſcernamus; quod eſt magnũ quidem beneficium, uerùm eiuſmodi, quod non tam prodeſt ad iuſtitiam aßequen-dam, quàm ad iniuſtitiam noſtram agnoſcendam.

Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt.

De iuſtitia loquitur, qua liberatur impius à debito, & ſeruitute peccati, & Deo pri-mùm reconciliatur. Hanc certum eſt per impletionem legis homini non continge-re, ſed ad implendam potius legem tam neceſſariam eſſe, quàm eſt ſanitas ad ſa-na opera ædenda. Venit autem illa, ut poſtea ſequitur, per fidem Ieſu Chriſti: Nam cum ſolus Chriſtus ingens peccati debitum exoluerit, numerans pro eo in cruce pretium Patri ſuo, & delens, quod aduerſus nos erat, chirographum de-creti, huius nos ſolutionis participes non efficimur, niſi per donum fidei, quæ cum odio peccati, & amore Dei coniuncta ſit. Hæc igitur iuſtitia, quæ ſine lege per fidem Ieſu Chriſti nobis aduenit, non facit nos à lege moralium præceptorum ſolutos, ut Ockinus infœlix, & alij Epicurei uoluptatum amatores magis, quàm Dei, impijſſimè interpretantur, ſed liberos nos à ſeruitute peccati, & ſanos red-dit, ut implere legem poßimus, & charitatis debitum ſoluere, cuius ſolutio noſtra uera & propria iuſtitia eſt, ut antea diximus.

Quem propoſuit Deus propitiatorē per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ.

Tanti pretij erat ſanguis ille, quem pro noſtra redemptione Chriſtus in cruce Patri ſuo obtulit, & cuius nos per fidem participes eſſe uoluit, ut æſtimatione Diuina magnitudinem grauiſſimi debiti omnium peccatorum uniuerſi mundi uel æquarit, uel etiam ſuperarit. Hanc ob rem oſtenſam fuiſſe in hac propitiatione, et cōmutatione Diuinam iuſtitiam, Apoſtolus teſtatur, cui haud obſcurè repugnare illi uidentur, qui potuiſſe fieri aiunt, ut per puram creaturam æquè, ac per Chriſtum genus humanum redimeretur.

Propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore.

Qui colligunt ex hoc loco ſacrificium in cruce peractum oblatum non fuiſſe pro peccatis, quæ poſt baptiſmum perpetrantur, ſed pro illis tantùm, quæ baptiſmum præceſſerunt, nouam & Chriſtianis auribus inauditam doctrinam abſq; ulla probabili ratione inducunt. Locum certè hunc obſcurum reddit uox latina, Remiſſio; & græca πάρεσις; quæ tamen ſi (ut plurimis ueteribus Græcis placet) non accipitur hic pro deletione peccatorum, ſed pro malo, quod peccata afferunt animæ, quam extenuatam, & remiſſam ad bona opera efficiunt, nec remiſſam modò, uerùmetiam mortificatam, ac uelut tabe & paralyſi confectam, nulla erit in ſententia ambiguitas. Si autem remiſſionem cum latinis interpretibus pro peccatorum deletione ſumamus, dicimus ſignificatum eſſe hic, per gratiam iuſtificationis non impunitatem futurorum peccatorum, ſed remiſſionem tantùm præcedentium concedi, ut delictis mortui deinceps iuſtitiæ uiuamus.

Vbi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? factorū? non, ſed per legem fidei.

Lex *fidei (ut ſimpliciter locutionem Apoſtoli interpretemur) lex Diuina eſt; quæ præcipit, ne putemus remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam, qua Deo placemus, uenire nobis per obedientiam, quam in obſeruanda ipſius lege nos antea præſtiterimus, ſed credamus uenire Chriſtum; qui mortuus eſt propter deli-*

ſta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram; ut ſanitatem, & gratiam acciperemus, per quæ in bonis operibus, quæ diuinæ ſuæ maieſtati grata & accepta ſunt, ambularemus. Lex autem operum, lex eſt uel ſcripta, uel in mentibus hominum naturaliter impreſſa, quæ regulas, & præcepta morum tradit. Hæc lex operum nec docet hominem, ut non in ſeipſo, ſed in Dei gratia et miſericordia glorietur; & cum extrinſecus impletur, glorioſum reddit hominem apud alios homines; At lex fidei omnem noſtram gloriationem excludit, & in animo tota latet.

Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.

De iuſtificatione impij agitur; ut cum ſuprà dixit, iuſtitiam Dei ſine lege manifeſtatam eſſe: Quare legis nomine omnem hic morum legem ſiue ſcriptam, ſiue naturalem intelligere debemus; nec audiēdi ulla ratione ſunt, qui cæremonias tantùm Iudæorum ſignificatas eſſe contendunt.

An Iudæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? Imo & Gentium.

Sententia hæc eundem habet ſenſum, atq; illæ duæ; Non eſt acceptio perſonarū apud Deum. Et Deus uult omnes homines ſaluos fieri. Perſpicuè autem demonſtrat, quod ſuprà diximus, pactiones de conferenda iuſtitia, & æterna beatitudine, quæ omnium hominum ſupremus eſt finis, conditiones habere non proprias alicui genti, uel nationi, ſed omnibus hominibus ex neceſſitate cōmunes. Affert autem hoc, ut oſtendat obſeruationem ſcriptæ legis non fuiſſe medium ad iuſtitiam aſſequendam in illo diuino fœdere incluſum, quòd lex ſcripta ſolis Iudæis à Deo eſſet tradita. Vnde perſpicuum fit, ijs, qui ex induſtria claudere oculos nolunt, circunciſionem medium etiam non fuiſſe ad iuſtificandos homines à Deo inſtitutum.

Legem ergo deſtruimus per fidem? abſit, ſed legem ſtatuimus.

Etſi iuſtitia, & peccatorum remiſſio per fidem Chriſti nobis ueniat, & non per legis uel ſcriptæ, uel naturalis obſeruationem; cum per fidem tamen uires comparamus ad legem præſtandam, & eam iuſtitiam, quæ in ipſius impletione ſita eſt, aſſequendam, non deſtruit profectò fides legem, ſed potius ſta-

bilit; Nec enim ad ſoluendum legem Chriſtus uenit, ſed ad implendum & perficiendum.

Ex Cap. 4.

Si enim Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt.

Quòd lex ſcripta lata non eſſet Abrahæ tempore, multi redundare hic putant uocem, Legis. Nos ea retenta Paulum dicimus Iudæos confutare, qui Abrahæ electionem & iuſtitiam obſeruationi legis naturalis, & circuncisioni tribuebant. Siqua opera, inquit Paulus, Abraham faciebat nondum ſanatus interius, nec à debito, & ſeruitute peccati liberatus, quibus legem naturæ obſerua re uideretur; poterant illa quidem fauorem & gloriam illi apud homines concilia re, Deo tamen opera, quæ ab animo alienato ab ipſo proficiſcebantur, grata eſſe non poterant. Nec ipſe quidem Abraham, ut ſcriptura teſtatur, prius amicus Dei, & iuſtus habitus eſt, quàm fidem illi habuit.

Habet gloriam, ſed non apud Deum.

Lutherani à bonis operibus uehementer abhorrent, ne gloria apud Deum careant; impiè, & contra ueram Apoſtoli mentem hæc uerba non ſolùm de infidelium & peccatorum, ſed de fidelium etiam & iuſtorum operibus interpretantes, quos tamen in ferendis tribulationibus, & in alijs bonis operibus, quæ muniti præſidio Diuinæ gratiæ faciunt, in Domino gloriari Paulus ipſe iubet.

Quid enim dicit ſcriptura? credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

Paulus ex hoc Geneſis teſtimonio iuſtificari hominem per fidem abſq; operibus colligit. Iacobus conſtanter affirmat, qui cum fide opera non coniungit, eum iuſtum non eſſe. Itaq; iuſtificari ex operibus hominem, atq; ipſam quidem fidem ex operibus conſummari per hoc idẽ ſcripturæ teſtimonium confirmat. Nos quæ ab utroq; Apoſtolo dicuntur, uerissima eſſe, ac uehementer inter ſe conſentire, & cohærere aſſerimus. Pugnam autem, quæ in uerbis eſſe uidetur, ex uaria illarum uocum, Iuſtitia, & Iuſtificatio, acceptione manare. De qua nos uarietate libenter hic noſtram iam in alijs locis inſinuatam quàm clarissimè poterimus, ſententiam proponemus; quò diligentius illa in diſputationibus expendatur. Iuſtitia igitur creaturæ rationalis (ut nobis quidẽ uidetur) in hoc in uniuerſum ſita eſt, quòd præſtet creatori ſuo, quod debet. Ac tunc ipſa iuſtificari di-

citur, cùm ſuo creatori, quod debet, ſoluit. Duplici autem debito (ut antea diximus, & ſæpiſſimè repeti oportet) obſtrictus eſt apud Deum peccator. Prius debitum eſt legittimum, & ſempiternum, ac cōmune creaturarum omnium, quo obedire Deo tenetur, & legem ſibi ab eo impoſitam implere: eiuſq; ſolutio ueriſſima eſt, & propriiſſima hominis iuſtitia; de qua D. Iacobus loquitur. Poſterius debitum contrahit peccator, cùm hoc prius legittimum debitum ſoluere recuſat; vocaturq; debitum peccati. Ab hoc debito cum liberatur aliquis, iuſtificari etiam dicitur, ſiue ipſe per ſe debitum ſoluat ſatisfaciendo pro ſuo peccato, ſiue exoluat id alius, cuius ſolutio ipſi imputetur, & pro ipſo acceptetur. De hac iuſtificatione Paulus loquitur, quam quidem aduenire peccatori per opera, prorſus eſt impoſſibile, cum nullum opus ædere peccator poſſit (pauper alioqui, infirmus, & Deo inuiſus) quo pro peccato commiſſo Deo ſatisfaciat; cuius debitum tam grande eſt, ut nulla etiam alia mera creatura inueniri poſſit, quæ ſoluere id ualeat. Solutum autem hoc debitum in cruce per Chriſtum fuit, qui in hoc opere ſummã ſuam erga homines Charitatem demonſtrauit. Verùm ſolutio Chriſti peccatori non imputatur, hoc eſt, pro peccatore non acceptatur à Deo, niſi peccator ipſe fidem habeat, non nudam quidem, ſed quæ coniuncta ſit cum Dei, ac tam benigni Redemptoris amore, cumq; odio peccati, & propoſito præſtandi deinceps legittimum ac ſempiternum obedientiæ debitum. Veriſſimè igitur et ſanctiſſimè Paulus de iuſtitia loquens, qua debitum peccati ſoluitur, eam dixit non per opera aduenire homini, ſed per fidem, per quam iuſtitia Chriſti .i. ſolutio per Chriſtum facta ipſi peccatori, imputatur .i. pro ipſo acceptatur à Deo. Veriſsimè item & ſanctiſſimè Iacobus, cum de iuſtitia hominis propriiſsimè dicta (de ea uidelicet, quæ in ſolutione legittimi & ſempiterni debiti ſita eſt.) loqueretur, eam per opera adeſſe homini, immo in operum executione ſitam eſſe docuit. Quoniam autem priori illa iuſtitia fidei ita impius iuſtificatur, ut non ſolùm à debito peccati per mortem Chriſti liberetur, ſed per reſurrectionem etiam ſanetur, ac gratiam & uires acquirat ad præſtandum hanc poſteriorẽ iuſtitiam, quæ finis illius eſt, ac uoto in ipſa concipitur, ſapientiſſimè additum eſt à D. Iacobo, fidem, quam initio ante ulla opera, quæ grata eſſent Deo, habuit Abraham, operibus ijs ſequentibus, quibus iuſtificabatur, legittimum debitum ſoluens, cooperatam eſſe; atq; per hæc opera (quæ, ut antea ſignificaui, in fide Abrahæ, et priori illa iuſtitia uoto,

& propoſito continebantur) confirmatam, & perfectam Abrahæ fidem fuiſſe, confirmatumq; id, quod tanto antè in Geneſi de eo ſcriptum fuerat; Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Verùm, ut ad D. Pauli uerba redeamus; quod ille, locum hunc ex Geneſi citans, ſignificare uoluit, tale eſt. Si Abraham debitum ſoluiſſet ſatisfaciendo Deo pro eo aliquo ſuo opere, iuſtitia (quæ huic ſolutioni tanquam merces reſpondet) debita illi fuiſſet, & non ex gratia contigiſſet. At, cum in ſcriptura dicitur, fidem reputatam fuiſſe illi ad iuſtitiam, ſatis oſtenditur, non illum opere ullo ſuo pro debito ſatisfeciſſe, ſed ſolutionem à Chriſto olim miſericorditer exhibendam imputatam illi per fidem fuiſſe. hoc ipſe uerbis, quæ ſequuntur; Ei autem, qui operatur &c. luculentius declarat.

Ei uerò, qui non operatur, credenti autē in eum, qui iuſtificat impium, reputabitur fides eius ad iuſtitiam.

Et ſi plurima ſcripturæ loca impiè & ſacrilegè à Lutheranis fuerint in alienos, & falſos detorta ſenſus; uix tamen ſcimus, an grauius uſquam illi, quàm in hoc loco exponendo offenderint. Nam cum Paulus & hic, & alibi doceat, iuſtificari impium, & à culpa ac debito peccati liberari non per ſolutionem, et ſatisfactionem ab eo præſtitam, ſed ex eò quòd ſatisfactio, quam Chriſtus miſericorditer pro omnibus exhibuit, illi per fidem ſic imputatur, atq; ita pro ipſo à Deo acceptatur, ut propter gratiſſimam filij ſui ſatisfactionem in morte factam omnem in illo Deus culpam deleat. Propter reſurrectionem autem gratiam in locum eius ſufficiat, qua iuſtus & ſanus fiat, ac uires habeat ad inſtituendam nouam, ac ſpiritalem uitam, atq; ad præſtandum in poſterum legittimum obedientiæ debitum. Illi hanc acceptationem tam craſſè & impiè interpretantur, & tanta cum imminutione, atq; iniuria ſanctiſſimæ mortis, & reſurrectionis Chriſti, ut nullam hæreſim excitatā unquam inter Chriſtianos, qui Chriſtum Deum, atq; hominem eſſe confiterentur, fuiſſe putemus, quæ grauiorem blaſphemiam contra beneficium noſtræ redemptionis (quod uerbis extollere nunquam ceſſant) contineret. Aiunt etenim non ita hominem per fidem iuſtificari, ut ueteres amittat culpas, nec ſanari illum quidem interius per gratiam Chriſti, aut uires, quibus debitum legittimum præſtare queat, comparare; quin antiquas culpas, & priſtinum languorem, ac cæcitatem quemcunq; iuſtificatum retinere, nec opera illum iuſta

&

et inculpata, ſed iniqua, et culpa ac defectibus plena ædere. Tantũq; *hoc à nõ iuſti ficato iuſtificatũ differre;* ꝙ *illi culpæ oẽs, quas admiſit, imputãtur ad pœnã, quia iuſtitia* Chriſti *nõ illi propter defectũ fidei imputatur ad ueniã:* Huic *aũt nulla cul pa imputatur ad ſuppliciũ, quia ſatisfactio* Chriſti *per fidẽ imputatur ad iuſtitiã.*

Beatitudo ergo hęc in circuncíſione tantum manet, an etiam in præputio?

In *ipſa interrogatione ſuam explicat ſententiam:* Beatitudinem *hanc, nempe, quæ per fidem aduenit, non ſolùm* Iudæis *circunciſis, ſed etiam* Gentibus *præputiatis eſſe paratam.* Petit *deinde in particulari, quod in uniuerſali quæſierat:* Quomodo *ergo reputata eſt in circunciſione, an in præputio. i.* An Abrahæ *euenerit iuſtitia fidei, dum erat præputiatus; an non; ſed poſtea, cum fuit circunciſus?* Reſpondet*, aduenisse illam ei, dum erat præputiatus.* Poſt *iuſtitiam uero adeptam circunciſum eum fuiſſe, ac inſtitutum, ut poſteri eius circunciderentur, ut eſſet circunciſio in omnibus ſignum, quo admonerentur,* Abraham *iuſtitiam id eſt liberationem à peccato, quod omnes homines in* Adam *contraxerunt;* Et *prauorum affectuum reſectionem; ac ueteris* Adæ *expoliationem per fidem fuiſſe adeptum, credendo uenturum ex ſemine ſuo, qui pro delicto omnium peccatorum* Deo *plenè ſatisfaceret, quiq; uiua quadam petra animos hominum circunciderct, & ab omni labe perpurgaret;* Vt *quicunq; poſteà* Abrahæ *fidem imitarentur, numerarentur inter filios eius, ſiue præputiati eſſent, ſiue circunciſi.* Non *potuit* D. Paulus *uerbis magis diſertis explicare, nullam unquam* Deum *uim ad iuſtificandum in circunciſione poſuiſſe.* Latini *autem, qui ſcripſerunt per circunciſionem fuiſſe homines iuſtificatos, ita ferendi ſunt, ſi ſignificare uoluerunt per circunciſionem admonitos fuiſſe homines de uera ratione iuſtitiam aſſequendi.*

Non enim per legem promíſſio Abrahæ, aut ſemíní eius, ut hęres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fideí.

Legem *pro lege ſcripta accipit* Paulus*, ut uerba illa ſequentia demonſtrant:* Vt *ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolùm.* Verùm *quoniam ratio, quam affert, ut oſtendat non eſſe factam promiſſionem per legem, quòd lex uidelicet iram operatur, æquè excludit legem naturæ, ac legem ſcriptam; interpretari cogimur uerba hæc, non eſſe factam promiſſio-*

nem per legem, ſed per iuſtitiam fidei, ad hunc modum: Promiſſionem non fuiſſe factam ſub hac conditione, ſi legem impleret; ſed ſub hac conditione, ſi crederet, & credendo fidei iuſtitiam haberet. Porrò quod ſequitur; ut hæres eſſet mundi; hunc habet ſenſum; ut ius haberet ad mundi hæreditatem; non autem hunc; ut mundi hæreditatem adipiſceretur. Etenim per fidei iuſtitiam ius tantùm ad beatitudinem aſſequimur. Ad eam autem non perueniunt adulti, niſi iuſtitiam alteram, occaſione exhibita, addant, quæ finis eſt iuſtitiæ fidei; & de qua D. Iacobum eſſe locutum, ſupra declarauimus: quam etiam Redemptor noſter ſignificauit, Si uis (inquiens) ad uitam ingredi, ſerua mandata: Et Paulus, cum ſuperius dixit; Non auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur.

Si enim qui ex lege hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio: lex enim iram operatur.

Vt ſuperius oſtendimus impoſſibile penitus eſſe, iuſtificari hominem per opera ea iuſtitia, qua à debito & ſeruitute peccati liberatur; ita planè eſt impoſſibile, ius ad ad hæreditatem eum, qui impius & peccator eſt, per legem acquirere; quoniam lex in impijs, & peccatoribus propter ſeruitutem, & conditionem eorum, iram operatur. Si igitur conditio hæc, quæ impoſſibilis eſſet, apponeretur in promiſſione, ipſa promiſſio irrita eſſet, & fides inanis, ac uana redderetur; cum nec ad iuſtificandum ualeret, & hominum expectationem fruſtraretur.

Vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.

Neceſſaria procul dubio eſt hæc ſententia, ſi omnis in uniuerſum lex excludatur, cum præuaricatio nihil ſit aliud, quàm libera legis uiolatio: quare nō eſt ad ullum particulare genus legis coarctanda.

Sicut ſcriptum eſt, quia Patrem multarum gentium conſtitui te.

Authoritas D. Pauli facit, ut iuxta literam non ſolùm de propagatione carnali, ſed etiã ſpirituali; immo de ſpirituali præcipuè promiſſionem hanc intelligamus. Quam rationem exponendi ſequi etiam poſſumus in uerbis ſequentibus: (Qui uiuificat mortuos, & uocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt) ut iuxta literam & mortuos corporaliter, & ſpiritualiter intelligamus: item quæ prorſus non ſunt, & quæ reiecta hominum æſtimatione eſſe uidentur.

Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

Duo maxima beneficia per iuſtitiam fidei, qua in mortem & reſurrectionem Chriſti credimus, conſequimur; quæ ingratiſſimi Lutherani nefariè obſcurant: Alterum, quòd à debito peccati liberamur, expuncta & delata in nobis omni culpa: Alterum, quòd gratiam, & ſpiritum Chriſti recipimus, quo nouam & ſpiritalem uitam uiuere queamus, ſoluendo Deo legitimum Obedientiæ debitum, Ex his prius illud; nempe liberationem à debito peccati attribuit D. Paulus ſolutioni, quam Chriſtus fecit, tradens ſe in mortem, per quam chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, deleuit, & pro debito peccatorum noſtrorum abundè Patri ſatisfecit. Poſterius uerò, collationem nimirum ſpiritus, quo in nouitate uitæ ambulemus, & qui eſt ueluti ſemen uitæ cæleſtis & immortalis, cuius uirtute ipſam cæleſtem & immortalem uitam olim recipiemus, attribuit ipſius Chriſti reſurrectioni. Docet enim nos Apoſtolus hoc, quòd niſi ipſe docuiſset, fortaſſe ignoraremus. Quemadmodum Pater æternus mori peccato facit credentes in filium ſuum propter mortem, qua ille uitæ mortali & ærumnoſæ mortuus eſt: ita eum uoluiſſe ſpiritum eiſdem impartiri, quo reſurgerent in nouam & ſpiritalem uitam (quæ etſi ad tempus cum mortali corpore coniuncta ſit, olim tamen immortalitatem cum ea ſit habitura) propter interpellationem, quam filius eius cæleſtem & immortalem uitam per reſurrectionem recipiens, pro nobis apud ipſum interponit: ut cæleſtem etiam nos & immortalem uitam conſequamur, Vt enim idem Apoſtolus inferius habet: Si Chriſtus nos, cum inimici eſſemus, reconciliare Patri per mortem ſuam potuit, multò magis uiuens poſt reſurrectionem eos, qui per mortem eius reconciliati ſunt, ſaluare .i. ad beatitudinem perducere poterit, per gratiam nimirum, quam ſua interpellatione apud Patrem eis erat impetraturus. Porrò Apoſtolus poſterius hoc beneficium iuſtificationem noſtram una de duabus cauſis uocauit: Aut.n. de propria, et uera iuſtitia noſtra cogitauit, quæ (ut ſæpius diximus) in ſolutione noſtri legitimi & ſempiterni debiti poſita eſt. Hanc.n. quia præſtare non poſsumus niſi per ſpiritum, quem per Chriſtum excitatum & interpellantem pro nobis recipimus, ſapientiſſimè ab Apoſtolo dici potuit, reſurrexiſse Chriſtum propter noſtram iuſtificationem; Vel iuſtificationem ille noſtram glorificationem fortaſſe uocauit, in qua præmiũ noſtræ iuſtitiæ liberati ab inconſtantia & ærumnis huius ſeculi recipiemus: Quo in ſenſu uerbum, Iuſtificari, uſurpaſſe ſuperius uide-

detur, cum per futurum dixit; Factores legis iuſtificabuntur. Si hanc autem iuſtificationem in mente habuit (ut habuiſſe in altero loco uidetur, cum dixit; Salui erimus in uita ipſius) optimè etiam & uerißimè dixit reſurrexiſſe Chriſtum propter noſtram iuſtificationem: Si quidem propter excitati Chriſti interpellationem, spiritum accipimus, in quo, tanquam in ſemine Chriſti, uirtus continetur; cuius potentia nos etiam aliquando cum corporibus noſtris ad uitam beatam & immortalem reſurgemus.

Ex Cap. 5.

Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum.

Sunt qui contendant legendum, Habemus; *Nos uerò non negamus, quin ſententia eſſet uerißima, ſi ita legeretur. Verùm quia nihil erat opus, ut Apoſtolus ſententiam per ſe notam, & ſatis ſuperius expreßam denuo inculcaret, Decebat autem plurimùm, ut adhortaretur ille reconciliatos, & in pacem Dei admiſſos ad hanc pacem confirmandam, & retinendam per exhibitionem iuſtitiæ, quæ in ſolutione legitimi debiti ſita eſt. quam diximus iuſtitiæ fidei finem eſſe; & uoto in ea concipi: multò profectò magis quadrat, ut Apoſtolus,* Habeamus, *dixerit, pro eo, quod eſt, retineamus. Quod autem ſubditur,* Per Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum, per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus: eo ſanè fine additum eſt, ut intelligamus, non eſſe nobis impoßibile, conſeruare eam pacem per exhibitionem iuſtitiæ noſtræ, quoniam gratia, in qua ſtamus. i. quam per iuſtitiam fidei aſſecuti ſumus, ſuggerit uires, ut ſoluere legitimum obedientiæ debitum ualeamus.*

In gratiam iſtam in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei, non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.

Gloriatio illius eſt propriè, qui gloriam. i. ſupremam fœlicitatem poſſidet. Verùm quia *hæc accidere homini, dum in hac peregrinatione uerſatur, in ſpe tantùm poteſt, propterea in ſolis illis rebus licet nobis ſeriò in hoc mundo gloriari, quæ ſpem uitæ æternæ fulciunt, & ſuſtentant.* Hæ *autem res duæ ſunt præſertim, quas nobis D. Paulus in hoc loco proponit: una quidem gratia Dei, quæ per iuſtitiam fidei confertur. Per hanc enim adoptamur in filios, & ius ad æternam gloriam comparamus.* Altera *uerò iuſtitia, & impletio legis, quam per*

hanc

hanc gratiam præſtamus. Nam hæc iuſtitia ſpem noſtram roborat, & confirmat. quoniam eſt illi gloria æterna tanquam merces, & præmium à Deo promiſſa. Poſteriorem hanc, quæ apud Mattheum per multas actiones ad ipſam iuſtitiam pertinentes à Domino explicata eſt, quorum authores beatos ipſe appellauit, Paulus hoc loco per ſolam tolerantiam laborum deſcripſit: quòd ſit hæc difficillima actionum omnium, & per quam clarius, quàm per ullam aliam, iuſti eſſe probamur; quæ propterea etiam ultimo loco à Domino cum promiſſione regni cœleſtis nominata eſt. Porrò præter duas has res, quæ gloriationis cauſam in ſpe afferunt, eſſe aliam rem quoq; docet Apoſtolus, in qua non iam in ſpe, ſed tanquam in re poſſeſſa gloriari poſſimus; quam etiam per Chriſti meritum comparamus. Hanc autem ait ipſum Deum eſſe, Non ſolum autem (inquit) ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum per quem nunc reconciliationem accepimus. In hoc procul dubio boni Chriſtiani, etiam dum in hoc calamitoſo mundo degunt, lætari & gloriari præ cæteris omnibus hominibus iure optimo poſſunt; quòd Deum habeant amicum, & propitium, ac in ſuis cordibus inhabitantem.

Spes autem non confundit.

Ea ſpes confundere, ac pudore afficere ſperantes poteſt, quæ eorum poteſt expectationem fallere atq; fruſtrari. Quare D. Paulus uerbis his ſummam eſſe teſtatur certitudinem ſpei, in qua boni Chriſtiani gloriantur. Verùm ea longè alterius rationis eſt, quàm fidei certitudo. Quod Lutherani ignorantes non minus impiè, quàm temere conſtituerunt, Chriſtianos omnes, qui ueram fidem, & ſpem firmam habent, credere certò debere prædeſtinatos ſe fuiſſe, ac æternam beatitudinem conſecuturos. Spes profectò, quam de obtinenda re aliqua nobis promiſſa concipimus, certiſſima ſemper erit, nec deludere nos poterit, ſi tres hæ conditiones affuerint: Vna, ut promiſſor mentiri non poſſit; Altera, ut conditio, quæ in promiſſione excipitur, eiuſmodi ſit, quam nos, ſi uelimus, præſtare poſſimus, uel noſtris ſolis uiribus, uel cum alterius ope, quam certò ſciamus nobis non defuturam; Tertia, ut efficaciter uelimus pactam conditionem exhibere. Ex his conditionibus una ſi deſit, uel ſpes prorſus tolletur, uel incerta ſaltem reddetur. Accidere igitur in ſpe plerumq; ſolet id, quod in fide nequaquam poſſet euenire, ut quod nunc certiſſima ſpe quis concipit, paulò poſt

omnino non ſperet, ſi uoluntatem uidelicet, qua nunc ſtatuit conditionem in promiſſione exactam implere, mox mutet. Etenim hæc uoluntatis mutatio incertam fuiſſe eam perſuaſionem demonſtrat, qua is conſecuturum ſe rem illam, quam ſperabat, credebat. Spem tamen incertam extitiſſe non arguit. Fuit enim ſpes illius haud dubiè certiſſima; nec eum deluſit unquam; ſed ſua ipſum uoluntas fefellit, ac fruſtrata eſt. Porrò ex his conditionibus, quas neceſſarias eſſe diximus ad certitudinem ſpei abſolutæ, & non conditionalis, ſecunda perſpicuè demonſtrat auxilium diuinæ gratiæ omnibus hominibus preſto adeſſe, cum ad ſperandum omnes obligentur, niſi in pœnam peccati fortaſſis detrahatur, quæ detractio tamen, ſi accideret, non magis ab obligatione ſperandi liberaret homines, quàm ab obligatione amandi; quam ſempiternam eſſe nemo neſcit. Tertia uero conditio declarat ſolos iuſtos ſpem habere, quæ abſolutè ſit certa; quamuis abſolutam eius certitudinem non agnoſcant: & eò quemq; de certitudine ſuæ ſpei magis certum eſſe, quo magis eſt certus de præſenti ſua iuſtitia. Quod explicans Apoſtolus, pro ratione certitudinis ſpei affert charitatem Dei, eam nimirum, qua eum amamus, & legitimum ei debitum pendemus, quæ conditio eſt in æterna beatitudinis pactione comprehenſa, diffuſam eſſe in cordibus noſtris per ſpiritum Sanctum datum nobis, ut hanc iuſtitiam præſtare poſſimus. Quoniam autem Diuina pactio merito Chriſti, tanquam fundamento nititur, idcirco declarat Apoſtolus poſtea, quantum illud ſit, & quàm acceptum Deo.

Si enim, cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii eius, multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius.

Quando D. Paulus ſuprà dixit Chriſtum propter delicta noſtra mortuum fuiſſe, ac propter noſtram iuſtificationem reſurrexiſſe, oſtendit diſtinguenda eſſe à nobis beneficia, quæ ex morte Chriſti in nos redundarunt, ab ijs, quæ idem excitatus, & apud patrem in gloria uiuens nobis confert. Docet autem nos Apoſtolus in eo loco, & in hoc, quem nunc tractamus, morti Chriſti liberationem noſtram à debito peccati, & reconciliationem cum Deo, eſſe aſſignandam. Reliqua autem beneficia, quæ ad iuſtificationem, & ſaluationem conſequendam nos iuuant, attribuenda eſſe præcipuè ipſius reſurrectioni, i. interpellationi, quam

ille excitatus, iugiter apud patrem pro nobis facit.

Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.

N*obis hæc uidetur expeditiſſima ratio ad tollendam obſcuritatem, quam particula (propterea) in his uerbis affert, ut dicamus Eclypſim eſſe ac ſubintelligendum ex ſententia illa præcedenti (Per quem nunc reconciliationem accepimus) hoc, ita reconciliatio in nos per Chriſtum uenit. Vt ſit ſenſus: Propterea ita reconciliatio per unum hominem Chriſtum in nos uenit, ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introiuit, & per peccatum mors &c. Dubium autem nõ eſt apud ueros catholicos, qui ſenſum Chriſti, & Eccleſiæ habent, de peccati originalis traductione in hoc loco agi; execrandumq́; eſſe cõmentarium Eraſmi, qui ut alter Pelagius, de peccato actuali, quod per imitationem propagatur, eum exponit. Certè eam hic à D. Paulo ueritatem diſcimus, quam deceptrix Philoſophia fallacibus principijs innixa reieciſſet, mortem nimirum corpoream irrogatam homini in pœnam peccati fuiſſe, naturalem autem illi propriè non eſſe; quoniam ſi quam à principio accepit, ipſe naturam integram retinuiſſet, temperaturam habuiſſet, quam præſidijs, quibus munitus tunc fuiſſet, facile tutam ab iniurijs omnium cauſarum ſecundarum conſeruare, atq; adeo perpetuare potuiſſet. hoc enim æternus & immortalis ille finis, in quem conditus erat, postulabat. Sed cum hanc ueritatem ex ore D. Pauli audiamus, uideamus autem paruulos huic pœnæ obnoxios naſci, nec pœnam infligi a Deo cuiquam ſolere (ſingulares Chriſti, ac ſanctiſſimæ Virginis rationes exceptas hic uolumus) qui culpæ non ſit particeps: quemadmodum uerba ſequentia demonſtrant; ita inquit; In omnes homines mors pertranſijt. In quo ſiue (ut dictionibus illis Græcis, ἐφ᾽ ᾧ, ſenſum clariorem reddamus) propterea quòd omnes peccauerunt, euidentiſſimè planè colligitur contra omnes noſtri temporis Pelagianiſtas, cum peccato originali paruulos omnes naſci id eſt cum habituali quadam auerſione à Deo, & conuerſione ad creaturas, quæ tantam mentis cæcitatem, & infirmitatem coniunctam habet, ut etiam Philoſophi ſolo lumine naturali præditi, ſi diligenter ad pœnas hominis oculos intendiſſent, agnoſcere ualuiſſent, non potuiſſe tantam illi & tam conſtantem miſeriam abſq; aliquo peccato contingere.*

Vſq; ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet.

Per *legem lex ſcripta ſignificatur; & per peccatum non originale, ut ſuperius, ſed actuale, quod ex originali tanquam fructus ex arbore procedebat. Oſtendit autem Apoſtolus uerè per Adam intraſſe peccatum in mundum: quamquam id ex fructibus ante legem latam non facilè cognoſceretur; quia ita erat ſopitum, & obrutum lumen naturale, ut per illud turpitudinem concupiſcentiæ, & aliorum nonnullorum peccatorum, quæ lex explicatè prohibet, homo non cognoſceret.*

Sed regnauit mors ab Adam vſq; ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis.

Veriſſimum horum uerborum ſenſum hunc eſſe contendimus. Etſi peccatum originale ante legem tempore Moyſis latam ex effectibus non cognoſceretur; nihilominus uerè illud extitit; quia mors, quæ ex eo tanquam pœna manauit, non pepercit ulli, ne infantibus quidem, qui nullam trāſgreſſionem actualem, quemadmodum Adam, commiſerunt, ſed ſola contagione originalis peccati fuerunt infecti. Scriptor ille, qui commentarios eos in Epiſtolas D. Pauli ædidit, qui Ambroſij nomine circunferuntur (quos Ambroſij non eſſe præterquàm quòd eos ſciamus in Vaticana bibliotheca ſub alterius authoris nomine ſcriptos inueniri, tum alijs multis perſpicuis argumentis adducti exiſtimamus) ſine negatione legit; In eos, qui peccauerunt, abſurda admodum expoſitione adhibita, quam D. Auguſtinus magno ſtudio confutauit.

Sed non ſicut delictum, ita & donum.

In loco obſcuriſſimo, & uariè à ueteribus expoſito uerſamur. Nos hanc arbitramur ueriſſimam, ac germanam eſſe interpretationem; ut per peccatum intelligatur peccatum actuale Adæ: per donum autem gratia externa Chriſti. i. ſolutio debiti peccatorum totius mundi, & ſatisfactio, quam in cruce præſtitit, quæ uerbis ſequentibus gratia Dei, & donum appellatur; quoniam ex ſingulari dono, & gratia Patris æterni filium eius ut Redemptorem ſuſcepimus.

Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & Donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.

Quod Dicitur, tale eſt: Vſque adeo eſt Donum Chriſti ſuapte natura potentius ad commodandum ijs, qui regenerantur in Chriſto, quàm fuit Adæ peccatum ad incõmodandum illis, qui ex eo fuerunt orti; ut, ſi inueniri poſſent plures homines gratia indigentes, quàm qui per peccatum Adæ eam perdiderunt, adhuc ad eos exuberans Chriſti gratia redundaret.

Et non ſicut per vnum peccatum, ita & donum.

Veriſimile eſt incuria librariorum irrepſiſſe in hunc locum aliquod uitium. Nam in uetuſtis quibuſdam codicibus, & apud D. Auguſt. peccantem legitur. Apud Græcos magno conſenſu legitur; Per unum, qui peccauit. Nihilominus facilè nos ſenſum ferè eundem huic literæ tribuere poterimus; atq; is eſt, quem lectio altera recipit; ſi adiectiuum, Vnum, cùm dictione, Peccatum, non coniungamus; ſed eius ſubſtantiuum ſubintelligamus. Erit autem hic ſenſus, quem nos tuebimur: Non eſt tantæ efficaciæ in malum peccatum, quod ex uno homine manauit, atq; eſt in bonum id donum, quod ex uno etiam manauit. Subditur autem ratio. Nam iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem: quæ hunc habet ſenſum: Iudicium enim, & ſententia, quæ lata eſt in eos, quos Adæ peccatum infecit, fuit ex uno in condemnationem id eſt fecit, ut omnes illius unius peccati rei haberentur. Verùm gratia, quæ ex dono Ieſu Chriſti fluxit, eiuſmodi fuit, ut propter eam non ab illo peccato tantùm, quod ex Adam contraxerunt homines, ſed à plurimis etiam alijs, quæ ipſi addiderunt, liberarentu.

Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.

In peccato ſufficientia ab efficacia non diſcernitur, ut diſcerni in gratia externa ſolet; quare abſurdi nihil dicemus, ſi aſſeramus, de efficacia peccati, & gratiæ Chriſti ſufficientia hic agi. Poſſumus id etiam rectè dicere, efficaciam gratiæ erga eos, qui per fidem naſcuntur ex Chriſto, componi hic cum efficia peccati erga eos, qui ſecundum carnem oriuntur ex Adam.

Sicut enim per inobedientiam vnius hominis Peccatores conſti-
tuti ſunt multi, ita & per vnius obeditionem iuſti conſti-
tuentur multi.

Mirantur plurimi, cur multos hic dixerit, qui prius omnes dixerat; ſed admiratio omnis tolletur, ſi intelligatur hoc, quod ueriſſimum nobis apparet: Apoſtolum illis uoluiſſe occurrere qui non ſatis aſſequebantur, quẽadmodũ obedientia quæ eſt paſſio Chriſti alij, quàm ipſimet, prodeſſe potuerit. Hos inſtruit Paulus argumento à minori ducto. Si unius inobedientia non uni tantùm obfuit, ſed multis; dubitari non debet, quin etiam unius obedientia non uni tantùm profuerit, ſed etiam multis.

Lex autem ſubintrauit, ut abundaret delictum.

Illorum haud dubiè tacitæ ambiguitati ſubuenit Paulus, qui cum legi multum tribuerent, apud ſe poterant cogitare, ad delendam culpam per Adæ peccatum inductam abundè magnum remedium legem extitiſſe; ut redemptio Chriſti ſuperuacua uideretur, Paulus autem docet tantum abeſſe, ut lex delendo peccato ex Adam deriuato ſuffecerit, ut ipſius ingreſſu (quãquam eſſet ipſa alioquin utilis, & ſancta, & in optimum finem deſtinata) factum ſit per accidens tamen propter hominum corruptelam, ut peccatum, quod Adam aduexit, uires intenderit, & abundantius, quàm antè fructificarit. Cæterum agendas eſſe gratias ſummæ Dei benignitati, quoniam ubi abundauit delictum, ipſius gratia ſuperabundauit, in ſenſu ſuprà à nobis explicato.

LAVS DEO.